

Syllabus contentorum.

1. Orientii Commonitorum fidelium, cum notis Henr. Leonh. Schurzfleischii.
2. Christ. Gotfr. Stentzelii Liber de aurum blandimenti veris magis quam blandi.
3. Io. Abrah. Birnbaum de natura ac usu studii antiquitatum liber singularis.
4. Io. Christian. Fischeri Selecta et rariova Latii prioris monumenta, obi habentur a) Frid. Gotthilf Marshall dicti Greiff Panegyricus in obitum uxoris Sophie Eliab. Schwartzensallia. b) Io. Phil. Sieugii Progr. de uno studiorum genere felicendo. c) eiusd. Progr. de hierarchia Romana. d) Christian. Gottl. Schwarzu. Progr. in obitum Christian. Gotfr. Laur. Rinxii. e) Epistole quatuor Selectiones virorum doctissimorum e Mskr. erata. f) Varia poetica, ut a) Vlr. de Huter Vir bonus. b) eiusd. Ovres Nemo. c) Io. Alexander. Brasiliensi Itav. Omnis. d) eiusd. Elegia Augustus in Iulio. e) Io. Pasquerius Nikil. f) Io. Henr. Aceri. Carmina nonnulla. g) Io. Christ. Fischeri Panegyricus in natalem Frederici III. principis heredis Saxon. Gothani. h) Et Oratio de concordia rationis et perspicua elegantiae latina distinctionis. i) Et. Comentatio de iudicio phrygian filii Romani vulgo negato. k) Inscrip.
5. Io. Henr. Schusteri Scholion critico-philologicum, in quo genuina indoles linguarum IV. cardinalium, scilicet Germanicae, Latinae, Graecae ac Hebreæ, simul neui quidam in vulgaribus preceptis, nec non aliqua compendia doctrinae abhinc abstantibus.
6. Georg. Christian. Hallbaueri Disj. de recta linguarum discendarum ratione.
7. eiusd. Disj. de scriptura, eis origine, natura et variis modis, praeceps per litteras ex ere fujas.
8. Christ. Gottl. Iocheri Disj. de M. Antonii Triumvi Triomio.
9. Sigism. Frid. Dresigii Comentatio de correctioribz impérii Romani.
10. Io. Christian. Fischeri Disj. de Hubertini clericis Crescentinat, elegantiorum litterarum saeculi XV. in Itala iustificatore.
11. Erhard. Reuchlii Disj. de bibliothecis Romanorum.
12. Mich. Lilienhaldi Disj. de philothecis varior. earundem usq; et abusu.
13. Io. Henr. Martii Disj. de praeceps iudicij antiquioribz litterarum, statutoribz ac Macenatibz.
14. Sigism. Fritzschii Disj. de praeceps iudicij recentioribz litterarum, statutoribz ac Macenatibz.
15. Io. Gottlob. Gutteli Comentatio de lectione monumentorum Grecorum Latinorumq; aromaticis et eis in primis dignitate.
16. Sigism. Frid. Dresigii Animadversiones in Fabri thesaurum continuata.
17. Dan. Guil. Mollerii Disj. de S. Aurelio Victore.
18. Eudo. Disj. de C. Fannio.
19. Io. Gottfr. Hauptmanni Disj. de Atticis.
20. Io. Georg. Eccardi Censura diplomatica Carolini de scholis Osnabrugensis ecclesia Gracis et Latinis, ab obiectione Iudeo. Herm. Nunninghi vindicata.
21. Sam. Florenti Ricini Disj. de projectoribz veteris ecclesia martyribz.
22. Gottlieb Wernsdorffii Disj. de constitutionum apostolicarum origine, contra Guil. Whistonum.
23. Io. Iust. Spier. Disj. qua testimonia patrum V. primorum seculorum de Pauli apostoli itinere in Hispaniam confecta labefactantur.
24. Alexand. Politi Oratio de literarum Grecarum necessitate.
25. Adr. Stegeri Disj. de iugulis sacra dignitatis insignibus.
26. Iac. Perizonii Disj. de rebus atque incrementis Prugorum.
27. Io. Frid. Weidleri Disj. de sacramentalibus.
28. Io. Iac. Syrbii Sententia theologorum nostrorum de determinata futurorum contingentium veritate asserta.
29. Erh. Reuchlii Disj. de immutabilis natura lege.
30. Io. Georg. Waldu. Disj. de episcopo patre spirituali.
31. Eudo. Disj. de variis theologian tradicioni methodis.
32. — Historia transubstantiationis pontificia.
33. — Disj. de formula salutandi apostolicis.
34. Henr. Hlausingsi Disj. de methodo demonstrandi mathematica, ad res theologicas non applicanda.
35. Frid. Iac. Fitthaberi Disj. de eodem argumento.

52. 55

Q. D. B. V.


RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCPE REGIO AC DOMINO,
DN. FRIDERICO AVGUSTO,
ELECT. SAX. HEREDE,
DE

SURDORUM ENUNTIA- TIONIBUS,

PRAESIDE
M. ERNESTO CONRADI,
HAMB.
DISSERET
THEOD. HENRICUS VETHAKE,
HAGA WESTPHALUS,
ANNO MDCCIII. d. VI. Mart.
H. L. Q. S.

WITTENBERGAE,
LITERIS CHRISTIANI GERDESII.

RECOLLECTIO
DNI HIERONIMO MAGISTRO
SURDORUM
ENIUNITIA
TTONIBUS
HVBESIB
M. BRUNNIO CORRIE
HVM
DIETRIT
THEOD HUNRICUS AEGIDAE
HUGO DECCW SAVVIA
HUGO DECCW SAVVIA
HUGO DECCW SAVVIA
LITERIS CHRISTIANI GERBETI



EMANVEL CORONABIT.

§. I.



Vm DEus T. O. M. hominem universi præsidem et omnium rerum sublunarium Dominum ac Regem constitutere decrevisset, eundem ut dignitatem suam feliciter tueri, muneribus suis bene fungi & iis quibus præesse debebat, recte imperare posset, non solum anima instruxit perfectissime rationis capaci, per quam arguaretur, dissereret, conjectura valeret, conficeret aliquid & concluderet, verum eidem insuper etiam inseruit, vim facultatemque loquendi, mentis arcanorum explicatricem, Rationis interpres, in ore potissimum, tanquam in animi vestibulo, residenter, quæ lingue dentiumque percusione aerem, quem respiramus ac reddimus a pulmonibus format ac fingit in voces, non asperas ac rudes ac cæterarum animantium, sed suaves modulis, dulces flexionibus, expressas literis ac syllabis, coagimentatas vocalibus & consonantibus, significantes que notionum & cogitationum abditarum, pro arbitrio quidem loquentium, sed tamen ex pactione conventuque Nationum, quarum vocum sonorum ac Verborum, quæ signa quædam sunt & notæ rerum earum quæ in animi recessibus latent, collectionem ac seriem ordine dispositam. *Enuntiationem, Sermonem, Orationemque* appellamus. Quo prestantissimo

tissimo munere nullum admirabilius excellentius aut majus nullum homini poterat obtingere. Ecquis enim Phystorum admirandam ejus naturam digne satis explicavit unquam? Ecquis Oratorum omnes ejus utilitates percensuit unquam? Tentarunt id quidem non pauci, sed perfecit nemo. Ut non inepte Veteres, rei magnitudine quasi dertiti, symbolis potius & imaginibus ejus excellentiam indicare, quam verbis enuntiare aut enarrare voluisse videantur. Quid enim aliud quam stupendam sermonis & enuntiationis vim, in permovendis ciendisque animorum motibus significat effigies, qua apud Gallos Sacris in locis prostabat, Viri, Senis & Cani, ex cuius lingua aurea atque argentea catena prodeunt, pertingebant ad aures magnæ multitudinis, qua eum velut ligata lequebatur expedito gressu & prompro obsequio. Quid aliud indicant quam Orationis divinitatem Poëtarum fabulae de Eloquentia Praeside & Orationis Opifice quem Latini Mercurium sed Græci idque multo felicius *equum h. e. interpretem* nominarunt. Haud alia utique de causa quam quia mentis interpretem esse viderant Orationem, in quo velut cardine, si non tota maximam tamen partem, vertatur humanae vitæ felicitas.

§. II. Sine Sermone sane homines forent longe miserrimi, & in perpetuis errorum atque ignorantiae tenebris verarentur, nec ipsa vita iis jucunda posset existere, cum ad hanc suaviter transfigendam, non ratio æque necessaria esse videatur, atque Enuntiationis & Sermonis usus, itaque bene observante Francisco Bacone de Verulamio homines, si vel maxime insaniarent, si modo eodem semper modo insaniarent, fatis commode vivere possent, at non certe perinde si sermonis beneficio destituerentur. Hoc quippe vinculo solo, omnis conservatur & continetur hominum societas. Hoc unico medio omnes liberales & ingenuæ artes propagantur. Non negavero posse homines solis nutibus inter se agere & conceptus animi gestibus sibi significare & manifestare, ut qui sciam excellere ea in re Siculos & Busbequio admirationi quondam fuisse mutos qui in aula Turcarum Tyranni haben-

habentur, & agilibus suis artibus, loquacibusque manibus variisque vultus conformatio[n]e & inter se & cum aliis lepide confabulantur. Enim vero hi quidem primo non nisi cum presentibus & sibi adstantibus loqui possunt, non item cum illis ad quos nec frons nec oculi nec nutus nec gestus & qui sunt alii conceptuum indices pertingere possunt. Deinde vix quicquam aliud referunt aut exponunt quam de quibus certa visu & imagines habent, aut quæ ab aliis facta gestaque sensu & phantasia apprehenderunt. Itaque omnia prope rerum illarum significaciones vel signa quibus utuntur aliquem externum modum rerum, quas indigitant, adumbrant, veluti cum digitis unius manus extrema parte ad invicem compositis, ac naribus admotis florem defigant. Quo etiam fit ut significaciones istae rerum, quæ sunt quasi sermo Mutorum non usque adeo diversæ sint, ut non a diversissimorum gentium hominibus facilime intelligi possint. Ut videre est ex iis quæ refert. Ant. Deusingius in Diff. de Surdis §. 49. ubi memorat de Convivio Mutorum ad quod Cornelius Haga Illust. Confoed. Belg. Ordinum ad Portam Ottomannicam Legatus Mutos illius aulae convocaverat & in quo quidem vox nulla auditæ fuit varia tamen commutata fuit colloquia perinde ac in aliis conviviis fieri affoleret. Interiora sane illa animi cogitata & a sensibus ac materialiis remotiora aut spiritualia, nisi sublimioris ordinis revelatio accedat, aut plane non, aut imperfecte admordum cum assentiuntur tum exprimunt. Sic Surdus ille Constantiensis de quo est apud Schottum ex Johanne Nidero in Formicaria, Patrono suo qua potuit gestuum vehementia indicavit quidem sibi dispicere suscepimus iter & eundem ab illo revocare omni risu & gestu allaboravit, sed frustra, non enim clare & distincte satis eidem, explicare potuit vel magnitudinem vel propinquitatem periculi impendentis. Eum mox expugnaturus sine dubio, si exprimere verbis potuisset, exorituram post paucas horas vehementissimam lacus tempestatem, navem & omnes qui in eo essent futuri pessitudinaram. Nec aliud aut diversum evincit

exemplum duorum Mutorum de quibus Kircherus ad Schotum *Phys. Cur. Lib. III. c. XI. §. 3. p. 453.* scribens, refert eos magna cum sua admiratione signis maxime significantibus interfe concertasse, prestaret ne mutum ac surdum simul esse, an alterutrum solum? Surdi enim isti id a se ipsis aut dexteritate sua non magis habebant quam canere ad clavicymbalum canis & psittacus, quorum idem ibidem mentionem facit: nec ii unquam sibi hoc problema ad disceptandum sumere potuerint, nisi instructi informatique ante fuissent ab aliis qui audire & loqui poterant; Num quid enim conceptum illum habere queat, is de voce & auditu qui nunquam vocem audivit? non certe magis quam de coloribus is qui nunquam colorem vidit, aut de odore is qui nunquam obsecit. Impossibile omnino est ut surdus vel Mutus de loquela aut enuntiatione judicium ferat nisi vel attulit gutturis loquentis vel ope scripture haukse ab alio qui quid loqui, quid audire sit novit; prius addidicerit quid utrumque sit, atque ita alterius industria cognoverit dari loquelas, qua ipse carreat, dari vocem quam ipse non percipiat.

§. III. Quod usque adeo evidens est, ut ideo nullo non tempore Surdi ab ortu simul etiam Muti fuerint habitu & multis gentibus utrique eorum eodem veniant nomine. Sic Graeci Surdum appellant *κωφόν* quo eodem nomine & Muttum designare consueverunt, quoniam τὸ ἄλατον notante Scapula est consequens τὴς κωφῆς. Hinc κωφόν πέρσωπον in scenis dicitur muta persona, qui nihil loquitur. Nicander Φρίόνος seu rubetam vocat κωφόν, quam & ἀφθογγον appellat. *Luc. VII. 22.* κωφοὶ dicuntur audire & *Luc. XI. 14.* locutus est ὁ κωφός. Nec vulgus solum in eo consentit, consentiunt etiam & Physici & Medici. Postquam enim Aristoteles *Hist. An. L. IV. 9.* edixisset eos qui Surdi jam inde ab ortu nature sunt, etiam Mutos existere; vocem ergo emittere posse, locutionem autem nullam; Id ipsum ab omnibus ceu universaliter verum absque ulteriori investigatione admissum fuit. Ita ut Surdos a nativitate esse Mutos, live non ledi auditum ab ortu quin etiam locutio aut articulata vocum enuntiatio ledar-

cur velut circa controversiam verum nemo non poneret ac
statueret; de causis reddendis unice sollicitus. Ac harum
quidem duæ a plerisque memoratæ & allatae. Prima quod
Surdi a nativitate, idiomæ per auditum addicere nequeant,
sermo autem non nisi sermocinantes audiendo addiscatur.
Altera quod summa sit audiendi ac loquendi instrumento-
rum Sympathia & *xonwia* seu ut Aristoteles loquitur: quod
auditus & vox ab uno eodemque principio videantur proficiunt.
In determinando autem hoc principio non levem autorum
deprehendere licet discensum, etiæ enim omnes commu-
nionem nervorum respiciant dissentient tamen in eo expo-
nendo ubi proxime malum hæreat, quidam enim dicebant
provenire id, quod nervus quintæ conjugationis qui audito-
rius est, & sextæ conjugationis, qui sermonis sunt, antequam
dispertiantur in partes proprias invicem conjuncti sunt, alii
eandem conjunctionem in quinto & septimo pari quæsi-
verunt, rectius in tantum prioribz quod nervus septimæ
conjugationis lingua sit, sed æque inconvenienter quod nul-
la talis eorum deprehendatur conjunctio quallem ipsi finxe-
runt, quasi prædicti nervi in exortu eadem investiantur tu-
nica cum id *autoysia* refutet, unde alii dicunt nervum
quintæ conjugationis varios de se promere furculos quo-
rum major in aurem & membranam exquisitissimi sensus
expandatur & sonorum omnes species ad cerebrum defe-
rat, minor vero ad linguam & laryngem excurrat, ibidemque
cum septima conjugatione impliceatur. Ob hanc ergo va-
forum communionein, inter aures ac linguam laryngemque
sympathiean existere, ipsique affectus partium facile invi-
cem communicari. Circa primam diu nemo eorum hæ-
sitavit sed miro consensu a Galeno inde in ea alleganda,
omnes conspirarunt usque ad finem Seculi XV. Quo Andreas
Laurentius se hunc sententie oppofuit *Anatomie L.XI. qraſt. II.*
p. 430. Vulgare, inquiens, illud non probos: ideo obmutescere Sur-
dos quia idiomæ nullum addicere potuerunt, & quia auditus &
sensus discipline, & ne id sine ratione dixisse videatur, ratio-
nem addit: nam si ideo tantum obmutescunt Surdi, cur gemitus

& suffiria quæ patiemur sunt naturalia difficulter edunt & non ut primi rerum inventores verba & dictiones singularem quibus animi sensa & conceptus exprimerent seas proferre possent. Sed ad utramque rationem respondere conatus est Deusingius, ac ad primam quidem reponit falsum esse, surdos gemitus & suffiria difficulter edere, sed Laurentium deceptum, fuisse ex eo quod Aristoteles problemate IV. sectione XI. dicat Surdos violentius spirare, per quod tamen is non intelligat violentiam aut difficultem respirationem, quæ pulmonum ac thoracis est; sed vehementer per nares spirationem itaque addere meatum narium spiritus ductu laxiorem reddi, inde que fieri ut nisi per nares loqui non possint. Et probl. II. jam tum observasse, Surdos prope abesse quin muti sint; Mutos autem per nares vocem extrudere; eo namque spiritum illorum compelli, quia ore compresso sunt. Ad alteram autem Laurentii rationem regerit, quamvis natura hominem, adeoque & Surdum, ratione armaverit ad inventionem; non esse tamen, docente Platone, vulgaris sapientiae nomina rebus imponere, multoque minus cuiusvis concinnum formare idioma, vel linguam peculiararem ad sensa animi efferaenda, neque quod in Adamo fuit idem de quolibet hominum valere. Quae satis quidem commode dicta sunt, sed non prætereundum &, istud: sc. Laurentium aut confundere, aut minimum non satis distinguere hominis verbum internum & externum; internum, quod nihil aliud est quam cogitatio, homini ineft a natura. Ut ex rationibus elicefit, quas Vir summe Rev. Dn. D. GERH. MEJER, Praeceptor, Patronus, olimque Praeses singulariter Meritus in diff. de Surdorum Educationibus attulit, non perinde externum quod non nisi uso & exercitatione acquiritur atque totum ex fono & ariu in judicio dependet itaque Surdus a natura non magis de eo conceptum formare poterit, quam nos conceptum de loquela Angelorum, siquidem loquela sine fono non concipi non poscit, Surdus autem de fono quem non audit nullum habeat conceptum, articulatio enim quæ vocem constituit si non absolvit sine fono & auditu fieri non potest.

§. IV.

§. IV. Itaque non rejicere hanc rationem debuisset
Laurentius; sed eam suæ recte & convenienter jungere, pro
ut fecerunt ii, qui eum ætate secuti sunt, Celeberrimi Viri,
Dan. Sennertus, in Inst. Thom. Bartholinus in Anatomia &
alii, cum experientiae testimonio, non verosimile modo, sed &
evidens sit, neutram harum adductarum causarum sufficere
solitariam, sed nunc unam, nunc alteram, nunc ambas valere
& locum habere, adeo ut quando queritur, an omnis Sur-
dus sit Mutus? In quaestione hac, tam Prædicatum quam sub-
jectum recte sit distingvendum, & accuratum tam Muto-
rum, quam Surdorum constituentum veniat discriminem.
Ac Mutus a mugiendo juxta non nullos dicitur quasi mu-
gitus, quod cum loqui non posse, vocalem tamen spiritum
per narres quasi mugiens emitat; sed cum vix omnis mutu-
sus in talen mugitum vel vocem mugitui similem prorumpat,
& non pauci mutorum magis muti sint quam pīces
communiter in jure is dicitur mutus, qui sine voce est, item
qui eloqui nihil potest, aut cui morbus vocem abstulit. Re-
cte autem monet Deusingius, per Mutum intelligi, veltalem,
qui organa naētus sit ad formandam articulatam vocem per
se inepta, vel talem, qui cum organa formando sermoni
idonea naētus sit, lingvam tamen nullam callet, nec voca-
bula sensus animi conceptos exprimentia didicit. Atque
hoc modo si capiatur vocabulum *mutus*, censet idem, ve-
rum omnino esse, eos qui surdi nati sunt etiam ordinarie
mutos esse, non æque si sensu sumatur priori. Non enim
illoco ubi auditus deest ineptitudinem organorum adesse ad
proferendum sermonem. Potest videlicet surditas, pende-
re a vitio, ipsi adæquato auditus organo peculiari, & tunc
non illoco impotentia loquelle adest. Ut enim in adultis
haut raro ledit auditus salva loquela, sic pariter in nativitate
ipsa seu ab ortu primo potest alicui talis organorum ob-
tingere constitutio, qua quidem aptus sit ad formandam lo-
cationem, ineptus interim ad audiendum. Similiter Surdus
in genere dicitur, qui auditu caret, etiam is qui temporario
auditus impedimento laborat, quamdui durat impedimen-

tum. Est enim surditas auditus interruptio, que fit impedito prohibitoque appulso *r̄v dñus̄w*, vel labefactata illa parte cerebri, unde vis audiendi manat juxta Joh. Heurnium. Interdum in jure quoque generaliter is surdus dicitur qui omnino non audit, non qui tarde exaudit. Vocatur vero insuper & is Surdus cui aures conclusit morbus. Hos vero omnes quis dicat simul muros, certe ut argute infert. Vir summe Rev. Dn. D. MEJER. §. 3. disp. cit. Supervacaneum fuisset, insolentis illius duorum Mutorum ex Kirchero concertationis thema, si non possent non obmutescere omnes quotquot aurium sensu vivunt destituti. Sunt numero non pauci qui obsurduerunt. Tantum vero abest, hi facultate sermocinandi ut simul exciderint, ut voce sonent maxime articulata.

§. V. Nihil itaque nobis hic commercii cum Surdis, qui vel ex morbo, vel quoconque alio vitio auditum amiserunt, & vocem loquentium vel ob marmora aurium vel ob vitiatum tympanum plane percipere nequeunt. Non etiam cum surdastris qui postquam aliquandiu audiverunt satis accurate, nunc difficultius audiunt aut solum per vias insuffitatis & quas bene auriti non observant, & de quibus est apud Imperatorem L. Discretis 10. c. Ubi ait Juventium Celsum testatum reliquisse, neminem tam Surdum esse, qui penitus non exaudiat, si quis supra cerebrum illius loquatur. Quod etsi Celeberrimo Historiae Medicæ scriptori Menagio vel eo nomine suspeatum merito videatur, quod nemo medicorum veterum tale quid meminerit, & idem naturæ vocis plane adversari videatur. Cum enim vox sit *āvō D̄sp̄s*, ut quæ ex aëre constet, facilius utique Surdus audire deberet, si quis infra cerebrum illius, quam si supra loquatur. Non placet tamen eidem ea de re prorsus dubitare, ob exempla quæ ipsam adducit, quin potius rationes querit, quibus paradoxon hoc aut declarari aut illustrari queat. Ratus fieri id posse, sive quid in voce aliud preter naturam aëris spectandum sit, ne tempe humor ex pulmonibus aut ore aëri permixtus, qui humor cum, sit gravis, vocem alioqui

alioqui sursum evasuram , deorsum premat ; sive quod dif-
ficilius aër superior a voce vincatur quam inferior , sive quod
sonus per suturarum parietalium meatus , ad cerebri par-
tem qua auditio fit , coniunctam deferatur , qui quidem pér
obstrūcum aurium meatum ad eam deferri minime poterit .
Quarum rationum ultima ab ipso habetur potior & potest
ea forte declarari ex Gasp. Schotto qua in schola Steganog-
raphica Clast. 8. cap. 17. Annot. 2. p. 329. ait : In moribundis
auris internæ meatus ac ductus , quibus sonus externus per
Tympanum ad aërem usque implantatum deferri deberet ,
morbo viati sunt atque obstruti , ideoque sono transiitum
non concedunt ; concedit tamen capit is cutis porosa , &
cranium itidem porosum : unde is ad aërem implantatum
& acutissimi nervi extrellum desertur & ab anima vitaliter
percipitur . Sed multo elegantius , si quid intelligo , rem
totam explicavit Magnificus atque Experientissimus Vir
Dn. D. JOH. GEORG. BERGERUS Archiater & Facultatis
fus Senior gravissimus hospes & Patronus omni observan-
tia cultu etiam post Fata colendus , Physiologij Med. pag.
391. ubi tremori ab osibus sincipitis per temporum ad la-
borinthum & spiralem in primis cochlear laminam prolatu
id attribuit . Neque multum forte dissimilis est ratio , cur
non nulli per os auscultent & ore hiant voces excipiunt .
Quanquam non ignorem esse qui statuant , istis sonum &
vocem ad interiora auris seu adipsum auditus organon di-
manare , beneficio canaliculi cartilaginei , qui a secundo au-
ris meatu ad os & palatum fertur , ut cuius canaliculi bene-
ficio quoque contingat , quod utraque aure obturata , pro-
prium sermonem exacte percipiamus , quodque si baculo
dentibus apprehenso , instrumenta Musica contingamus , ex-
quisitus eadem pulsari audiamus , item quod baculo extremo
altero in terram defixo , altero vero dentibus apprehenso ,
noctu adventantes e longinquuo advertamus accedere . Ta-
les etenim Surdi aut surdastrri , tantum abeant ut simul etiam
Muti sint , ut potius adeo clamosi sint , ut subinde iis quibus
cum loquuntur , ob inconditum clamorem etiam graves sint .

§. VI. His ergo & similibus omnibus remotis, ii solum
hic in censum veniunt, in quibus a nativitate & prima in-
fantia defectus auditus est deprehensus. Qui ipsi tamen
itidem varii sunt. Primo enim esse quidam possunt, in quib-
us cerebrum insigniter & secundum principales partes
mancum & laesum est. Posse enim hominem ob simplicem
cerebri secundum suam substantiam depravationem Mu-
tum & Surdum esse, ex adducta Heurnii definitione surdi-
tatis plane est evidens, & dudum bene a P. Zachia P. II.
quæst. Med. Legalium observatum. Deinde possunt qui-
dam esse, qui habeant quidem ipsum cerebrum secundum
principales partes bene a natura constitutum, debitaque pro-
portione ac perfectione dotatum, sed laesione aliquam
fortiti sint, juxta principium nervorum acousticorum, & in
ipsiusmet nervis auditoris, qui in cerebrum sonum deferunt.
Tertio possunt alii esse qui non ex virtute cerebri aut princi-
pii nervorum acousticorum, sed horum laesione aut virtute, ab
ortusio non nihil remotius hærente non audiant. Tandem
etiam esse possunt qui non audiant, ob interpositionem cu-
jusdam tunicae crassioris ante membranam, quam tympa-
num vocant. Quibus accensendi sunt juxta Zachiam ii qui
in ipsa infancia ex accidenti obsurdescunt, ut ex casu, ex fra-
gore ingenti, & ex improviso percepto, ex gravi item mor-
bo. Et sic sine dubio etiam illi, qui juxta Aristotelem surdi
sunt ab ortu & Mutu ob laesum commune vocis & auditus
organon, nisi eos ad secundam in ordine classem referre
quis velit, quanquam vix probabile videatur eos omnes in
ea locum & sedem invenire posse. Nam præterquam quod
verosimile, aut potius ex paulo post dicendis, plane evidens
sit, multos quidem Mutorum, imo forte frequentissimos
voce destituti, ob corrupta auditus organa, adeoque ideo
quod non audiant, nec idioma addiscere potuerint, non
paucos tamen eorum ita Mutos esse, ut si vel maxime
audirent, loqui tamen non possent. Ipse insuper Aristote-
les duo surdorum constituit genera. Unum nempe per se
alterum per accidens talium. Statuit enim ideo facilime

cor.

corrumpti auditum, quod vocis & auditus commune sit principium, & locutio facile depravetur, & tunc quidem per accidens depravari auditum. Cum scilicet per se depravetur, quotuscunque vitium est in ipsis auditus organis ob ejus vel intemperiem, vel vitiatam conformatiōnem, vel continuū solutionem, vel denegatum ex vitio nervi convenientem fluidi nervei, aut insiti, fluxum. Horum enim quid si accidat, per se, non per accidens, lēditur auditus. Per accidens vero tunc quando ob alterius depravationem vitiatur, ut si corrumpatur quia loquela corrupta est. Quo paēt alii quidem Surdi & Muti fuerint, quia Surdi, seu ob corrupta primario auditus organa alios Mutos & Surdos quia muti sunt, seu ob vitium quod proxime & primum organa vocis lēdit, conseqüenter vero & deinde organa auditus. Et quanquam Philofophus non adferat Exemplum Surdi, qui Surdus fuerit eo quod vocem amiserit, nec forte alibi tale quid annotatum facile reperire liceat, mēstamen Aristotelis manifesta est, & connexio firma. Si enim quidam Muti sunt, quia Surdi, ob lēsum commune auditus sermōnisque principium, idem sāne etiam reciproce valebit, & evidens esse necesse est, quosdam obsurdescere, quia Sermōnem amiserunt, & vitio laborant oris, quo commune illud principium lēditur. Agnoscit id Deusingius Diff. de Surdis ab ortu §. 32. Ubi ait. Ob hanc ergo Vasorum communionem, inter aures ac lingvam laryngemque sympathia existit, ipsique effectus partium facile invicem communicantur. Agnoscit idem & P. Zachias P.I. Quest. Med. Ceterum, inquiens, illud notum est Surdos a nativitate Mutos simul existere: ego vero Mutum a nativitate audire nunquam comperi, ita ut vice versa, qui Mutus a nativitate est, is simul & Surdus existat. Mallem tamen eundem locutum fuisse, de eo quod fit frequentius. Non enim apparet, cur id necessario & semper evenire debeat. Si enim quidam a nativitate Surdi esse possunt, qui tamen habeant aptitudinem loquendi, quidni etiam quidam ab ortu esse queant Muti, & tamen habeant vim audiendi seu auditum

integrum. Ut sane evincere videntur exempla filii Croesi
& athletæ Samii cui nomen fuit Αγαν, de quibus A. Gellius
Lib. V. c. IX. refert, eos quamquam ante non loquentes fuissent,
repente locutos fuisse, quod utique fieri non potuisse
est, nisi ante vocabula audita haussissent. Valere, interim
Zachia sententiam interdum, non tantum in Mutis ab ortu,
sed & in iis qui ætate procedente obmutuerunt, si non ex
historia naturali, ex sacra minimum facile est comprobatum.
In hac quippe de Zacharia memoratur, eum a DEO pro
pter incredibilitatem punitum fuisse amissione vocis, ipsum
vero etiam obsurduisse, non male Theophylactus & alii ex
eo collegerunt, quod ubi natus eidem fuisse filius, agnati
eum non interrogasse dicantur, quid vellet filiolum vocari,
sed eidem tantum innuisse. Similiter, cum non facile, ut
monitum, qui auditum amittunt etiam vocem deperdant, I
& vero apud Marcum VII. referatur Christum sanasse Sur
dum & Mutum, & hunc simul atque solutum fuisse ejus
vinculum lingue recte fuisse locutum, necesse est eundem
obsurduisse quia Mutus erat factus. Ecquienam voces red
dere potuisse, quas audiverat antea nunquam?

¶. VII. Non vacat, his diutius immorari præsternim
quod hujusmodi Surdi, supponantur Surdi eo quod Muti
existant, disquisitio autem præcipue de eo sit: An omnis a
nativitate & primis incunabulis Surdus, necessario etiam
Mutus & vel αφθονος sit, vel inconditum solum Mug
tum edat, nullam autem articulatam vocem formare, nec
suam enunciationem internam, alia externa, clare & distinete
significante, exprimere, eloqui & effari valeat. Patet au
tem facile hic juxta expositam hactenus Surdorum varieta
tem diversimode esse statuendum. Nam ii qui cerebrum
habent prave constitutum Muti non tantum quia voces hau
rire non possunt, verum etiam quia in simplicium apprehensi
one, compositione & divisione omnino deficiunt, & inde et
iam nulla ratione an vox sit, aut quid sit, apprehendere pos
sunt. Quod etiam suo modo valet de iis quibus initia ner
vorum auditui & loquelle destinatorum vitio & defectu la
borant

borant; propter hunc etenim etiam isti tam ad cognoscendum quid vox sit, quam ad eam formandam sunt inepti. Similiter si mala quedam conformatio accidat, communiter ad auris interioris structuram, ipsumque palatum attin- gens, surditas inducitur & simul obliteratur locutio, ipso niminum organo locutionis vitato non vero simpliciter quod idioma per aures addisci non queat. At si sola structura auris interior vitata sit, vel quinti paris ea sola propago, quae ad aurem fertur præter naturam afficiatur, tunc auditur quidem auditus, seu surditas oboritur, at sermo non nisi per accidens impeditur, quod nempe voces audiiri percipi- que cum nequeant, non addiscantur. Tales proinde surdi in quantum organa naeци sunt adformandam articulatam vocem per se apta & bene disposita, muti non sunt, seu inepti ad loquaciam, & respectu horum falsum omnino est illud tritum; Omnis Surdus etiam Mutus. Elinqvis tamen necessario is omnis est ordinarie & nisi malo medelam adferat ars, aut in- stitutio hominis, & audientis & loquentis. Sicque & hic ars natrnam perficiat, que sibi sola relieta efficere non potest utratis clinquis, quantuinvis alioqui non male sanus, & organis optime instruclus fuerit, compositos suos conceptus vel scrip- tura vel lingua connata, aliis aperire queat. Connata enim lingua nulla est, nec literarum & syllabarum potestas aliunde cognoscitur quam ex institutione. Ex vero inquit Vallesius: *ut natura fecit hominem prorsus inertem, ut esset ad omnes artes habilis; sic necesse est, fecerit omni sermone carentem, ut posset omnes discere.* Et paucis interjectis: *Loqui quidem naturale est hominibus, quia natura in bunc usum destinavit linguam;* Hoc autem ait illo sermone uti studio ac doctrina eventu, & ipsa quidem idiomata, usu ac tacita consensione hominum nata sunt, Cui consentit Leusdenius Phyl. Ebrei Diff. XVII. §. 2. quæ nulla inquit, lingua homini est naturalis, & loqua est qui- dem homini propria; inde tamen non sequitur, quod Hebreæ vel alia certa quedam lingua sit innata.

§. IX. Dari vero artem qua a nativitate Surdi, quibus mens sana & docile ingenium constat, nec lingua est impe- dita

dita, nec ætas immatura, breviter temporis spacio, eo perduci
queant, ut alios etiam voce maxime submissa loquentes, aut
scribentes haud difficulter intelligant, ipsique suam oratione
mentem possint aperire, dubium jam amplius, existit nullum.
Quamvis enim id $\alpha\tau\pi\tau\omega$ videri queat, eo quod nulla appa-
reat ratio, aut via, qua iis detur cognoscere literarum vel ele-
mentorum potestatem & tonum, fieri tamen id posse, abun-
de loquitur optima rerum magistra experientia, & testantur
auctores atque artis hujus doctores, non pauca enumerantes
talium loquentium Surdorum exempla. Ut nihil necesse
sit hoc trahere quod Rudolphus Agricola referat, se videlicet
Surdum a primis vita annis, qui quæcunque scriberet aliquis
intelligeret & tanquam loqui sciret omnia mentis cogitata
perscribere posset, hoc enim forte quis facile admittat, posse
scilicet. Surdos istos discere quomodo pingenda & exaranda
sunt literæ, at non quomodo prouinciandæ. Primo proinde
huc pertinent illi Surdi nati, quos Franciscus Valesius Philo. S.
c.13. p. 61. refert, loqui doctos fuisse ab amico suo Petro Pontio
Monacho Benedictino, a quibus proxime memorandus est
Nobilis Hispanus comitis stabuli castellæ frater natu minor
de quo testatur Ken. Digbæus tract. de nat. corp. c.28. p. 324 n. 8.
fuisse eum ita ab ipso ortu surdum ut ne bombardam quidem
auribus admotam & explosam auditu perciperet & tamen ex-
doctum verba admodum distincte proferre, aliasque secum
colloquentes tam perfecte intelligere, ut per integrum diem
in crebro hominum contubernio versatus, ne verbulum quidem
perire pateretur. Praeceptorem ei fuisse Monachum
idem memorat, sed hominem militarem aut politicum, Jo-
hannem Paulum Bonetum vocatum fuisse, tradit Morho-
lius. Sequuntur hinc Daniel Whaley & Alexander Popha,
quos distincte loqui & animi sua sensa qua scripto, qua ver-
bis exprimere docuit celeberrimus Mathematicus Joh. Wa-
lilius circa annum 63. Nec non Musicus ille de quo apud
Helmontium Denique Hester Koolert & quinque reli-
qui quos Joh. Conradus Amman Med. D. expedite sermo-
nes cum aliis miscere edocuit.

: o :

RE 154893

AB: 154893


ULB Halle
003 313 859

3



St

VDT7





52. 55

Q. D. B. V.

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCPE REGIO AC DOMINO,
DN. FRIDERICO AVGVSTO,
ELECT. SAX. HEREDE,
DE

SURDORUM ENUNTIA- TIONIBUS,

PRAESIDE
M. ERNESTO CONRADI,
HAMB.
DISSERET
THEOD. HENRICUS VETHAKE,
HAGA WESTPHALUS,
ANNO M DCCIII. d. VI. Mart.

H. L. Q. S.

*WITTENBERGAE,
LITERIS CHRISTIANI GERDESII.*